IACOBI MAZONII ORATIO IN FUNERE GUIDIUBALDI FELTRII DE RUUERE VRBINATIUM DUCIS

Jacopo Mazzoni

Digitized by Google

SIC igitur dubia, & incerta eſt huma
narum rerum conditio, ſic igitur lu
bricus, & fluxus illarum ſtatus, vt
cum eis ope, conſilioque uel maxi-
me opus eſſet, tum præcipue ſuis
præſidiis deſtituantur? Et cum ab
aliquo ſummo viro ſperare auxi-
lium incipiunt, tum potiſsimum a ſua ſpe concepta deii-
ciantur? O inconſtantem hominum rationem, ò ſpes
inanes, miſeramq; mortalium conditionem, quæ tum op
primis maxime, cum abs te nullæ prorſus inſidiæ impen
dere deberent. Erat Italia paulo ante ſapientiſsimo viro,
ac principe Guidoubaldo Vrbinatium Duce prædita, cú
ius ab eximia ſapientia conſeruationem, & incrementum
in ſecundis rebus, defenſionem autem & conſilium in ad
uerſis polliceri ſibi poterat. Verum quo tempore non
modo eius ditioni ſubiecti populi tuto, ac tranquillo in
ſtatu illius beneficio viuebant: ſed etiam ſummi Reges,
maximæque ciuitates ſuis imperiis, & regnis, ac ſibi ſuo-
rumq; ſaluti illo duce, & moderatore proſpiciebant, eum
demortuum dolore, ac luctu proſequi coguntur, & me
qui eius uiui ſapientiam apud omnes libentiſsime prædi
caui, nunc mortui laudationem lugubri oratione dolen-
ter inſtituere oportet. Ad quod ſane munus pro dignita
tè exequendum, etſi me non ſatis idoneum facile perſpi
cio, ſi quidem illius præclaræ actiones eam eloquentium
virorum veluti ferream requirerent vocē quæ ſimul cum
illis temporis tacitè ſe voluentis edaci dente nullo pacto

conſumeretur. Facit tamen mea illuſtris in eum pietas, & ſingularis in vos omnes, præſertimque in te ampliſsime Princeps obſeruantia, vt ſummam ſummi viri, ac Principis virtutē debitis laudibus celebrare, veſtrum autem vniuerſum illius amiſsi deſiderium quacunq; ratione poſsim lenire coner.

Laudaturus igitur in funere iuxta veterum morē iam vſq; ab antiquiſsimis ductū temporibus Guidumubaldū Metaurenſium ducem ampliſsimū, ſentio ſane eum Principem exornandum mihi ſuſcepiſſe, qui vndiq; omni bonorum copia tātopere fulget, ut ſi nunc ſocraticus ille Xenophon reuiuiſcat, minime ſit dubitandum, quin Cyro illo præterito eum ſibi deligat vnum, cuius ad exemplar imaginem perfecti regis, & omnibus abſoluti numeris effingat. Nam cum bonorum, quibus humanam ipſam felicitatem viri ſapientiſsimi tanquam firmis adminiculis niti voluerunt, altera ſint extra nos, altera vero in nobis, & hæc partim corpori, partim animo tributa, ea omnia ſic in hoc noſtro Principe redundarunt, vt nemo forſan poſthac tam impudens futurus ſit, qui à Deo immortali tot, & tantas res tacitus audeat optare, quot & quantas ad eum ſponte detuliſſe videtur. quod vt aliqua ratione omnibus innoteſcat, eam mihi rerum ſeriem ſeruandam propono, vt prius fortunæ, deinde naturæ, poſtremo animi bona e Guidiubaldi felicitatis penu uobis depromā. In illis igitur bonis, quæ quidem adiudicata ſunt fortunæ a doctiſsimis philoſophis nobile genus, multorum amicitia, filiorum vxorumque probitas, bonum nomen, &

opes

opes adnumerantur. Prima vero Guidiubaldi generis laus ſit, quod in ea natus eſt patria, quæ licet tam opima, tamq; fertilis minime ſit, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur cæteris antecellat, ita tamen pollet ingeniorum fœcunditate, ut non deletæ amplius Athenæ, atque à Barbaris occupatæ: ſed ipſæ ſua ſponte cum proprio auulſæ ſolo, cumq; omni ut ſic dixerim ſua ſuppellectili in Vrbinatium vrbem immigraſſe, eiq; ſe totas, penituſq; infudiſſe videantur. Genus autem paternum è Feltria, Ruuereaque gente commixtum eſt quaſi ſeminarium quoddam ſummorũ Pontificum, religioſorum cardinalium, egregiorumque ducum. ſi enim anteactum tempus, veteremq; memoriam repetamus, Siſtum quartum, & Iulium ſecundum e Ruuerea gente oriundos reperiemus, qui quidem tum pietate, tum prudentia præ cæteris (diuos ſemper excipio) ſic micant, vt abſque dubio luminibus obſtruant cæterorum: ut enim ſtellæ in radio ſolis, ſic alii egregii Pontifices in horum ſplendore ne cernuntur quidem, quorum omnium teſtis eſt ipſa lux veritatis hiſtoria. Hoc idem genus clariſsimos, & religioſiſsimos genuit Cardinales, quos vtinam ſemper habuiſſet Romana Eccleſia: non enim forſan eſſent exortæ horribiles illæ procellæ, quæ nauim petri multis ab hinc annis iactare cœperunt, neq; dum conſiſtere patiuntur. Sed inter cæteros maxime ſplendet Iulius ampliſsimus ille Cardinalis, cuius tam longe, lateque iam virtutum amplitudo patet, vt prope

ad

ad ultimos illos humanæ ſortis fines pertinere facile iudicent omnes, ſi quidem non modo cultum pietatis & religionis pene etiam cum lacte nutricis exuxit, ſed & alteram quoque partem, quæ in rerum agendarum uſu, rationeq; verſatur ſibi veluti propriam & peculiarem adſcripſerit, adeo vt in vtriuſque gloriæ ſplendore maximus nobis, admirabilisq; exoriatur, & tanquam Homericus Aſteropacus dextra pariter, ac ſiniſtra manu iaculũ intorqueat. Hoc idem genus extulit tot eximios viros, tot præſtantiſsimos duces tot belli egregios imperatores ut ſi conferantur quot vnquam in vnaquaque gente fuerunt Feltriis & Ruuereis æquari uix poſsint, quorũ encomia ſi aſſumenda ſunt longior ero ſane quàm veſtræ aures pati queant: Nam ſi de Feltriorum genere dicam vnus Federicus totum annum expoſceret. Guidus vero ſi breuitati conſuluero multis & laudibus defraudandus, ſi omnia explicare voluero, uel infinita multorum ſcripta repetenda ſunt; Si autem me ad Ruuereum genus conferam, meos ante oculos illi viri vndique obuerſantur, quorum magnitudini non modo ingenii mei paruitas, & exilis admodum, ac imbecilla oratio, ſed nec vberrima quamuis eloquentiſsimorum hominum dicendi copia, ſatisfacere, paresq; oneri uires afferre queat. Nam vt cæteros omittam, quis Iohannis Sennogalliæ domini, & vrbis præfecti, quem illius temporis principes illis affecerunt honoribus, quos habuerunt ampliſsimos, ſine aliqua prudentiſsimarum, atque adeo elegantiſsimarum, quæ veſtræ ſunt aurium offenſione egregia facinora, per cenſere

nume

numerando, ne dum amplificare dicendo poſſe videatur? quis Franciſcummariam Metaurenſium ducem Iohãnis filium, & Guidiubaldi patrem congrue ſatis commendabit? nam quæ dicendi vis, quod ingenii flumen apte poterit vobis ennarrare, hunc eum fuiſſe principem, qui ad omnia ſui temporis bella conficienda diuino quodam conſilio natus eſſe videbatur, qui non ſolum eorum hominum, qui tum erant gloriam: ſed etiam antiquitatis memoriam virtutibus militaribus ſuperauit, qui vrbes clariſsimas obſeſſas à maxima multitudine, & oppugnatas vehementiſsime, virtute, aſſiduitate, conſilio ſummis obſidionis periculis liberauit, qui ditionem ſuam à magno exercitu, magniſq; ducibus depopulatam, militibus penè ſpoliatus vno aditu, atque aduentu recuperauit? nullum ſane vt arbitror. Operæ precium eſt itaque Timantem imitari, quodq; exprimere pennicillo orationis nequeo, uelo ſilentii cõtegere. Maternum autem genus Guidusubaldus à præſtantiſsima Gonzagarum agnatione traxit, qua nulla vnquam in orbe clarior fuit, nulla frequẽtius purpureis galeris ornata, nulla cui ſæpius propter virtutem imperia mandata, atque exercitus commiſſi fuerint, cuius rei vos longiorem orationem non depoſcere compertum eſt mihi, cum nulla vſpiam ora ſit tam deſerta, quo non illius gentis nomen, famaq; peruaſerit. E cuius nobiliſſimo ſanguine orta eſt mortui noſtri ducis amantiſſima mater Leonora, quam quidem præclariſsimam mulierem, ita examuſſim perfecit natura, ita ad ſummum abſoluit virtus, vt ne à liuore quidem potuerit

aliqua

aliqua in parte iure reprehendi. Multorum autem amicitia, qua Princeps noſter dum viueret fuit præ cæteris clarus, & conſpicuus totum orbem in magnam admirationem traduxit. Vidiſtis enim non modo in eius lætis euentibus geſtientem vbique & concurſantem in illius atriis principum, & ciuium multitudinem, & plebem ipſam lætitiæ ſuæ impotentem, uix gaudium capientem animis: verum etiam in aduerſa fortuna, in qua tota antiquitas amici umbram conſpiciebat, tanta optimatum authoritate, tanto ſtudio bonorum, tanta contentione Italiæ, Europæq; agentibus aliis principibus, deprecantibus religioſis, Deo deniq; immortali illius cauſam comprobante, eo honore in priſtinam reſtitutum eſſe fortunam, ut non modo calamitas illi detracta: ſed & etiam dignitas aucta fuiſſe videatur. Cæterum illius vxorum, filiorumque probitatem quis dicendo aſſequi poterit? Iuliæ namq; Varanæ laudes non mea ſolum, quæ minor etiam quam mediocris eſt: ſed & omni eloquentia maiores ſunt. Victoriæ vero Farneſiæ virtutes eximiæ, tam multæ, tamque magnæ protinus mihi ſe ſe offerunt, ut facilius mundum pugillo poſſe crederem, quam eas breui præconio complecti. Filiarum autem in corpore proceritatem & uenuſtatem, in animo ſedulitatem, & temperantiam ſi uobis commemorare velim, perinde erit, ac ſi pulchrum aliquod pomum ex optima primum arbore, deinde in horto quopiam tum feraci, tum egregie culto natum demonſtrare contendam: cum præſertim apud eos verba faciã, qui Iſabellæ, Lauiniæq; venuſtas facies omni

niue

niue candidiores, roſeas & nitidas genas, & oculorum lu cem ſolaribus micantiorem radiis ſæpius vti res diuinas uenerantur, qui grauiſsimum earum ſermonem, miraq; ſuauitate conditum, ueluti à muſis ipſis dictatum, & inſtillatum admirantur, qui earum corporis impolluti integerrimam caſtitatem, pudicitiamq; ſummopere colũt & obſeruant, qui demum illis non ſexum animo, non animum pudori, non ingenio pudorẽ officere certo ſciunt. Filium autem Franciſcum nempe Mariam nunc Metaurenſium ampliſsimum ducem ſi quis ita laudibus afficere arbitratur, ut eius ſummis actionibus orationis grauitas reſpondeat, eum uel ita dicẽdi peritum oportet eſſe, ut eloquentia fretus ſua nihil ſibi difficile, nihil arduum proponat, vel ita fatuum, vt errore, delirioq; ductus rerum pondera & momenta craſſa nimis Minerua perſpicere, atque diiudicare poſsit. Is enim ille eſt princeps, qui pene puer probitatis & ingenii mirifica quadam indole totius Hiſpaniæ iam ſibi deuinxit animos, qui florẽtibus adhuc annis eas res artibus tum pacis tum belli geſſit, quæ illum per ſe ſatis æternitati commendare poſſint, qui ſextum & vigeſimum annum nondum ingreſſus tanta humanitate, prudentiaq; totius imperii ſui molem ſuſtentat, ut in eo non modo genitor: ſed & omnes ataui reuixiſſe exiſtimentur. Nec minus etiam Guidiubaldi felicitatem auxit præclariſsimæ nurus Lucretiæ Eſtenſis præſtantia, quam ſane principem nunc ubique certatim ſic omnes probi laudant, ut tum denique probi credantur, cum eam maxime laudauerint: prodigioſus

 quidem

quidem honos: ſed ſuis meritis non indebitus, ſi quidem facit tum illius propria virtus, tum ſedulitas erga virtute præditos, ut non ineptus, aut adulator qui laudet; ſed ut impius, aut ingratus habeatur qui non laudet. Bonam autem exiſtimationem, & honorem ſi tum aſſequimur, cum multitudo diligit, & admiratur; diligit autem, & admiratur multitudo beneficos & liberales, quis in hoc unquam Guidumubaldum exuperauit? E cuius regiis manibus velut aqua de fontibus, quaſi perenne fluebat aurum, & in maximam venire quæſtionem iam cœperat illud, vnde nam illi tanta iſta, tamq; inexhauſta diuitiarū copia ſic omnibus uſquequaq; largienti, quanquam facile a prudentibus intelligebatur, quæ pleriq; alii principes in ſuas cupiditates, ac libidines profundunt, ea illum tantum vel in ædificiorum nobiliſsima ſubſtructiones, uel in vſus publicos, uel in hanc poſtremo de qua nunc agimus beneficentiam conferre. Opes demum & diuitias ni fallor ſatis teſtificantur tot inſtructiſsimæ uillæ non modo ob vtilitatem feraci ſolo præditæ: verum etiam & ob iucunditatē difficili nonnunquam loco, illius natura ſumptibus euicta poſitæ, in quibus proceræ, ac directæ in quincuncem arbores, viridariaq; & amœni fontes, atque vmbracula paſsim occurrunt, tot inſuper in hac regione immēſa prope ferarum clauſtra firmiſſimis ſeptis circundata, partim amœniſsime conſita, partim omnis generis beſtiarum copia referta, tot oppida, tot urbes ad ſitus opportunitatem fundatæ, quæ ad omnia ferme itinerum diuerticula reperiuntur, tot denique alia operoſiſ-

ſima ædificia, quorũ tutelæ ſemper præſto ſint bellicoſſiſſimæ nationes, e Romana oriundæ multitudine, cuius olim coloniis iſta potiſſimũ regio frequẽtabatur. Quod autem ſecundo loco mihi dicendũ propoſueram, quibus nempe corporis adminiculis Guiduſubaldus nixus felicitatem adeptus fuerit, paucis perſtringamus. Fuit ipſe, ut noſtis omnes admirabili quadam membrorum compactione, ad conuenientem, ac decoram inter ſe ſe proportionem, cum tanta oris dignitate, ac maieſtate uultus, omniumq; partium lepore, ut vel ſolo aſpectu natura ſe principem indicaret. Tanta vero agilitate, ac dexteritate ad omnem motum & geſtum corporis, dum ei per ætatem licuit, ut & luctatione, & ſaltu, & curſu, ita æquales omnes anteiret, ut reperiret neminem, qui ſecum auderet contendere. Iaculatione uero non aliter atque omni alia Gymnaſtica parte delectatus ferream ſudem, aut ingentis ponderis ſaxum cæteris omnibus multo longius proiiciebat, neque ſane mirum: nam & iaculationem, & catapultam, & equitationem, & meditationem omnem bellicæ diſciplinæ iam ab uſque puero, ludendo, venandoq; ſub ipſo patre longo uſu, & multa exercitatione didicerat, confirmarat, & ad ſummum uſque auxerat. Sed iam ad ea accedamus bona, quæ non modo vere noſtra: ſed etiam præ aliis vere bona nuncupari poſſunt: vt enim obſcuratur, & offunditur luce ſolis lumen lucernæ, & ut interit magnitudine maris Aegei ſtilla muriæ, ſic cum in animo vera ſint noſtræ vitæ bona, omnis alia bonorum æſtimatio, ſplendore illorum, & magnitudine obſcure-

tur, obruatur, atque intereat neceſſe eſt. Ea uero in Guidoubaldo tot tantaq; floruerunt, vt nulla humanarum rerum viciſſitudine, nullo vnquam fortunæ variantis incurſu, nullo etiam ſquallentis æui ſenio deleri poterint, ſiquidem ipſorum memoria ad poſteros omnes propagabitur, ut præclaræ ipſius uirtutes cariturae ſemper exẽplis ad inſtitutionem quoque eorum, regulamq; proficiant; quarum virtutum formalem nos quantulicunq; ſumus nunc pro virili promere conabimur. Ab ortu igitur Guidiubaldi igniculi, & arcana quædam primordia virtutis in eo latitarunt, quæ deinceps in dies magis & magis in lucem prolata manifeſto indicarunt infuſum in eo nobile auorum robur. Ex quo deinde virtutes omnes ſimul cum ætate admirabili quodam prouentu ſemet extulerunt, & educarunt, in quibus recenſendis meminerint omnes primo me hiſtoriam non ſcribere: ſed virtutes huius ſummi ducis mihi ſtrictim percurrendas ſumpiſſe. A temperantia igitur exordiamur, quam ſanè omnes philoſophi ſemper magna cum difficultate acquiri poſſe crediderunt: multas enim blanditias adiunxit nobis natura quibus operta virtus conniueret, & interdum multas adoleſcentiæ uias lubricas indicat, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu, & prolapſione vix poſſit, multarumq; voluptatum iucundiſsimam præbuit varietatẽ, qua non modo iuuenilis ætas: verum etiam & maturior caperetur: Sed quemadmodum Iaſon olim, cum eam inſulam quæ à lectiſsimis floribus, eorumq; ſuauiſſimo odore nomen inuenerat præteruehéretur, periculumque

eſſet ne ſuaui, molliq; Syrenũ voce tota nauis ad earum ſaxa adhæreſceret, atque ita ad exitium perduceretur unum in Orpheo profugium habuit, quo cum aſſediſſet in puppi, fidesq; blandis digitis reſonare, ſimulque cantum illum, quo nõn modo pecudes, ſed & rupes, nemoraque traxerat promere cæpiſſet, tanta ſtatim aures, animosq; audientium voluptate perfudit, ut iam Syrenum illecebris nemo nauigantium moueretur: Sic & Guiduſubaldus dum floridam illam inſulam iuuentam nempe præternauigaret adeſſetq; periculum, ne voluptatum blanditiis irretitus à recto abduceretur itinere, atque in ſirtes, naufragiaq; impelleretur, ad ſui tutelam lyram Orphei ſapientiſſimi vatis temperantiæ nempe ſymphoniam adhibuit, cuius ſuauitatem, cum percepiſſet inſtitutum illud iter emenſus vellus aureũ virtutem nempe cum immortali coniunctam gloria conſecutus eſt. Quapropter nullis unquam cupiditatibus victus, nullis voluptatum illecebris labefactatus, id aſſiduis ſuis laboribus, laudatiſſimisq; operibus effecit, ut nihil ſibi facilius eſſet, nihil vſitatius nihil antiquius vita ſobria & pudica.

Eſt & alia animi virtus, quæ iraſcibiles perturbationes moderatur, & gubernat, fortitudo nuncupata, quæ cum omnia ſemper ad dignitatem referat, nec ſine ea quicquã homini expetendum in vita eſſe putet, partim adipiſcendæ laudis, partim vitandæ turpitudinis cauſa, mortem æquiſſimo contemnit animo. Hac virtute dux noſter fretus in ipſo flore ætatis Ferrariæ, quo tum temporis vndiq; celeberrimi conuenerant milites, qui quidem in

omni

omni re bellica cæteris omnibus proculdubio præſtabant in periculoſo equeſtri haſtiludio glorioſam ſibi victoriam conſecutus eſt. Hac eadem virtute in eo bello; quod Camertii ſtatum opima pace florentem paucorum menſium curriculo perturbauit, cum ui, ferro, maximaq; hoſtium multitudine obſeſſus teneretur, urbem tamen prudentiſsime tutatus eſt, & inimicorum impetus ſæpius repreſsit, ac retuſit. Hac eadem virtute cũ Camertini ſumma eſculentorum egeſtate torquerentur, per medios hoſtes opitulante patre eam frumenti copiam importauit, vt repente vilitas annonæ ex ſumma inopia, & caritate rei frumentariæ conſecuta ſit. Quarum rerum magna illico ſurrexit fama, huiusque celebritate adeo fuit abſentibus notus, vt deinceps non emolumento captans aliquo, ſed ſua dignitate trahens alliceret voluntates alienas, retineretque partas. Hinc poſt obitum patris Venetum Reſpub. cuius ſapientiam nullus eſt tam longinquus populus, tamque recondita natio, quæ non miretur, cum in dies magis & magis incrementa virtutis militatis in eo coaleſcere viderent, maximo curarunt ſtudio, vt eum omnino ſuum efficerent. Itaque magna opera, magno ſtipendio hunc ad ſe accerſitum multis, maximiſque in rebus & belli, & pacis ſemel, & iterum exercuerunt. Poſt quæ cum nunquam in deliberando conſilium, neque in agendo induſtriam in eo deſideraſſent, in ampliſsimum rei militaris principatum, & in mortui patris locum omnium maximo plauſu extulerunt. Venetæ igitur militiæ Guiduſubaldus

baldus Princeps, cum nullæ eſſent in Rep. tempeſtates, quæ arduum admodum gubernatoris laborem poſcerent, ſiquidem tum Veneti pacatiſsimo in otio, ampliſſimo in imperio, maxima cum dignitate uiuebant, non minoris tamen eſſe artis res militares in pace, quam in bello adminiſtrare oſtendit. Sicut enim periti gubernatores ſolent, qui quanquam omnia ſint obſeruaturi ſigna, quanquam omnem in eo curam collocaturi, ut tranquillo mari nauigent, neque ſæuientibus ſe uentis committant, quod momento tamen plerunque tempeſtas incidit, iam tum cum in portu ſunt omnia præparant, quæ tolerandæ tempeſtati neceſſaria eſſe uideantur. Sic ille iam tum in pace, quæ bello ſi quod incideret opportuna eſſent conſiderabat. Proinde campanum otiū ob oculos ſibi proponens, nihil deterius militibus in pace accidere poſſe perſpexit, quam ut otio eorum ingenia emarceſcerent, corporisque robur demolliretur. Curauit itaque vt continuis exercitationibus bellicis, militum inertia & deſidia penitus infringeretur, & diſſolueretur. Quo in tempore cum & ipſe omnes ultro ſubiret labores, adeo militiæ ſtuduit, tantamque in equeſtrem artem operam impendit, ut grauiſſimam quamuis armaturam perinde tractaret, ut quicunque ipſum aſpexiſſet ferrum illud non extrinſecus additum: ſed quaſi vna cum eo natum, ut cum piſcibus ſquammas, aut cum auibus plumas exiſtimare potuiſſet. Quibus rebus egregie peractis iterum ei ſapiētiſſimi Veneti militiæ ſummam cum ſalute Reip. commiſerunt, ite-

rumq;

rumq; commiſiſſent: intelligebant enim viri prudentiſſimi hunc principem illis à Deo immortali oblatum, in eorum Rempub. conſeruandam, & amplificandam, niſi ipſe aperti Martis flagrantior, ac illa Reſp. eorumque temporum opportunitas expoſceret, datum recuſaſſet imperium. Quo facto Romanorum Imperator Carolus V. & Franciſcus primus Rex Gallorum permoti, non eblandito: ſed enucleato iudicio, huic ſummo viro clauum militiæ & gubernacula Rerump. ſuarum ſummo animi ardore obtulerunt ultro. Illius enim ſic tum longe, lateq; diffuſa erat laus, ut nulla eſſet ora, nulla ſedes nullus locus, in quo non penetraſſent illius tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia. Placuit tamen ipſi monitis Iulii tertii Pontificis maximi obtemperare, qui eum eccleſiaſticæ militiæ imperatorem Felſineæ, Peruſioq; allegauit, vt turbulentiſſimas procellas illis in ciuitatibus exortas cõpeſceret, quibus niſi admirabilis illius principis virtus opportune ſubueniſſet, res forſan earum ciuitatum omnes procubuiſſent, E uitaq; functo Iulio eadem munia ſub Marcelli Pontificatu ſuſtinuit, quo etiam citius forſan, ac par eſſet extincto, non facile uobis explicare poſſum, quo pacto inueteratam illam Barbariem Romæ in Pontificum interregno moribus, diſciplinaq; delerit, quot iura noua, rectaq; ſtatuerit, quot controuerſias ſedarit, quot demum ſumma in P.R. ſtudia & beneficia contulerit. Sed cum iam Cardinalium comitiis Paulus quartus Pontifex maximus declaratus eſſet, fuit ab eo præfectura urbis, quam ipſi prius maxima fortunae

ui,inopinatoq; caſu amiſerat iterũ præditus. & in eadem militiæ dignitate confirmatus,quã tamen ipſe iuſtiſſimis de cauſis poſtea prudentiſſime refutauit. Poſt quæ cum illa fatalis belli Gallici lues eſſet exorta,in quo tota fere Gallia ſuis penè funditus ſedibus reuulſa ad euertẽdam Italiã quaſi præpetibus alis peruolauit, Piſaurũ ob huiuſce Principis ſummam fortitudinem bellicam,illis exteris nationibus,vti firmiſſimum propugnaculum propoſitum,& obiẽctum eſt,& ipſe veluti pacis arbiter,rabiẽ illam teterrimã ſola maieſtate proſternens,ſolo nomine, ſolo virtutis miraculo illius belli pericula ab hac vrbe longiſſime propulſauit. Atque vt ipſe ſemper hanc inſtabilẽ vitæ humanæ breuitatem,quæ ſic exigua ſpe,tenuiq; filo pendet,quæq; tam anguſtis limitibus concluditur, immortali gloriæ florentis curriculo promouebat, licet iã in ſeniori ætate, licet in ſummo honoris faſtigio conſtitutus, delatum tamen maximo ſtipendio à Philippo ſummo Hyſpaniarum rege militiæ imperium libentiſsime ſuſcepit, quod ad extremum vſq; vitæ,egregie ſemper adminiſtrauit,adeo,vt cognoſcerent omnes occaſionis inopia, nõ veræ fortitudinis abſentia, aliquid forſan in eo deſiderari potuiſſe. Hæ ſunt itaq; huius noſtris Principis in fortitudine bellica præclaræ actiones,& dignitates,quæ ni fallor floreſcent quotidie magis, ita vt quantum eis diuturnitas detrahere conabitur, tantum ſit allatura illarum laudibus. Verum hæc bellico

Quemadmodum enim Hippocrates ſapientiſſimus medicus quoſdã fratres cum ſimul ægrotare cœpiſſent, eorũq; morbus eodem tempore ingraueſceret, eodemq; leuaretur geminos ſuſpicatus eſt, ſic ſi quis naturalem fortitudinis bellicæ, & familiaris germanitatem neſciat, cum tamẽ has virtutes coniunctione ſpecioſas, & robuſtas eſſe, disiũctione non modo calorem, verum etiam ſanguinem amittere videat, germanas & genuinas proculdubio ſuſpicari debet. eſt itaq; hæc fortitudo, quæ illam in animis noſtris gignit firmitudinem, quam non dolorum faces, non durum exilium, non contempta paupertas, non ignominiæ metus, non mortis terror, conuellere labefactareque poſſunt; Vt enim Olympi cacumen quod altius ſit quàm vt eò vis ventorũ, tempeſtatumq; perueniat, ſemper quietum eſſe poetæ canunt, ſic & huius fortis animus altior, & ſublimior eſt, quàm vt obrui his furentibus, & de rebus abiectiſſimis inter ſe humi digladiantibus cupiditatibus, quæ in hac uita ſunt, poſſit. Stat enim illa ut in medio mari edita, & altiſſimis defixa radicibus rupes, cuius caput fluctus nè humectant quidem, pedes ſic pulſant, nõ ut eos commoueant: ſed vt ipſi frangantur. Fuit autem hæc eximia virtus in noſtro Principe ſumma, ſi quidem fortunæ ictus ita excepit, vt animo ſemper eſſet erectiori, & tanquã Hydra quædam validior ſemper reſurgeret. Cum enim maxima neceſſitate impulſus Camertii dominium aliis tradere cogeretur, id ea animi alacritate, eaq; vultus hilaritate fecit, quod alii nullis curis perturbati, pacatiſſimo in otio, iucundiſſimis in seceſſibus omnibusq; delitiis inuitati

tati

tati vix facerent. Obitum autem amantiſſimæ Iuliæ coniugis, optimæq; & ſuauiſſimæ Virginiæ filiæ cum nemo eſſet, qui non ingemiſceret, occubuit.n. utraq; in floreſcente ætate, qua id conſtantia vir, paterq; tulit? non magis hac ſane fortunæ iniuria deiectus, quã ſecundis unquam vllis rebus, quæ plurimæ illi acciderant ſublatus. Demũ ea fuit in adeunda morte conſtantia, ut non dico animi conſternati, ſed ne mœroris quidẽ tantilli ſigna prætulerit, uſq; adeo ſemper intrepidus, ut in domum aliquam è domo, non è vita migrare videretur, Mentis vero virtutes ſeu prudentiã ſeu ſcientiam ſpectes, ſummæ & ipſæ quoq; in eo fuerunt. nam quod ad prudẽtiam attinet exiſtimarunt maiores noſtri, eos qui ad ciuitates gubernandas admittuntur, omniũ rerũ peritos eſſe oportere: facillime.n. in ſcopulos intrudi Reſp. poſſe, ſi imperitis earũ imperium traditum erit. adoleſcentes ideo ac iuuenes ſic erudiri, vt cũ ad Remp. adminiſtrandã accedunt, gnari ſint rerũ quæ neceſſariæ ſunt, ſummopere vtile, & tutũ eſſe crediderunt. Sed nonne Guiduſubaldus adhuc prorſus adoleſcẽs in actionibus maximis, populisq; regendis verſari cœpit? Cũ.n. Franciſcusmaria pater peregre militiæ cauſa proficiſceretur, Metaurenſium imperium iam propriis armis recuperatũ illi penitus adoleſcenti regendum tradidit, qua in re ſic ſe geſſit, ut cũ ſumma omnia ſibi homines, ob egregiã quandam, quæ de illo in omniũ animis inſederat opinionem pollicerentur, poſt

In humanis actionibus celeberrimus fuit, quandoquidem etiã ipſi caſus, euentuſq; rerũ, non duces: ſed comites eius conſiliorũ fuerunt, quod præ cæteris ea indicant, quæ ipſe cum Paulo quarto Pontifice maximo ad bellum Neapolitanum diſſuadendũ diſſeruit, cuius dicta ſic exitus belli cõprobauit, vt facile deinceps cognoſcerent omnes eũ oculo prudentiæ longe futura potuiſſe, etiã acutiſſime intueri. In populis autem regendis & ciuilibus negotiis adminiſtrandis quãta fuerit prudentia paucis accipite. Veteres ſummi Philoſophi, qui vnius imperium omnibus aliis longe prætulerunt: id tamen ea cõprobarũt lege, ſi optimatũ paruus quidẽ at ſanctiſsimus Senatus Regi ſemper adiungeretur ſic.n. ciuitates perſpicaciori iudicio, rectiori voluntate, ſtabilioriq; uſu gubernari poſſe, arbitrari ſunt. Vt.n. manus in digitos diſtributa, non idcirco imbecillior, quin ad omnẽ vſum aptior, habiliorq; redditur, ſic ad gerendas Reſpub. qui alios quoq; munerũ participes vult, efficacius ille ſocietate adiutus opus abſoluere poteſt. Verũ Gerion mediuſfidius his artibus admirãdus, qui cũ tergeminus eſſet, unico tamen cuncta animo cõſilioq; adminiſtrabat, cum noſtro Principe in hac re vix cõparari poteſt. Nec minus etiã ſapientiſſimus dux noſter alterã mẽtis virtutẽ, literarumnẽpe diſciplinã coluit, & obſeruauit. Quod enim ſemper tam emendate animi ſenſa promeret, quod ita ſplendide eloqueretur, ut quamlibet in partem arbitratu ſuo flecteret audientium animos, eoſq; ſchemmatum & ſententiarum lumine obſtupefactos quibuſdam velut habenis numeroſæ orationis regeret, quod, quid cuiq; conſentaneum eſſet,

quid

quid repugnans, quid ex quoque efficeretur: quæ ſit diuidendi, quæ finiendi, quæ argumentandi ratio optime præ noſceret, quod rerum quæ gignuntur, quæque intereunt principia, quod corporum cœleſtium magnitudines interualla, curſus progreſſiones, ſtatus, quod animi naturam recte calleret, quod rerum multitudinem, confuſionem, tum numero, tum figuris maxima cũ ratione partiebatur, quod demum diuinas mentes, atque ſummum ipſum Deum, vt homini licet, ſæpius contemplaretur, laudandæ nobiliſq; diſciplinæ beneficium fuit. Cæterum quid de illa virtute commemorem quam omnes aliæ virtutes comitantur, ſi quidem omnium parens & altrix iuſtitia, quæ ſi in animo verſatur, prudentia, ſi in corporibus bona valetudo, ſi in domo concordia, ſi in ciuitate pax, ſi denique in mundo prouidentia nuncupatur, quam qui habent hi nec metu perturbantur, nec pudore confunduntur, nec ſollicitudine carpuntur, nec angoribus excruciantur: ſed ipſi ſibi conſtant, & quæ ſincera voluptas eſt pacatiſſimo animo ſemper in quiete perfruuntur. Hanc autem quantopere ſummus Dux noſter ſit amplexatus uel ea ſatis declarant, quod ſemper mœrentes conſolatus fuerit, afflictos excitarit, iacentes erexerit, quod ſceleſtis fuerit exitio, innocentibus præſidio, improbis terrori, probis ornamento, proinde nemini mirum uideri debet, ſi illius vrbes ſemper lætæ floruerunt populis, qui nunquam

Nec minus etiã alteram iuſtitiæ partem, quæ Deũ reſpicit, ſiue illam religionem, ſiue cum Platone ſanctitatem voces excoluit, & veneratus eſt, quod quidem illius multa pia facta declarant: ſed præ cæteris religioſiſſima mors. Cũ.n. homo ſemper cautiſſimus morbũ ſuum in dies magis, & magis ingraueſcere videret, nihil prius habuit, quã ut animi accerſeret medicũ, cui de cõtractis tota vita noxiis iuxta verũ ritum confiteretur, vt deinceps corpus, ac ſanguinẽ Chriſti plenus iam ſanctimoniæ, ac diuina quadã maieſtate verendus alacri ſuſciperet animo. Quibus omnibus per actis, cum contemplabundus aliquandiu quieuiſſet, ſuauiſſimũ natum ad ſe ſe vocari iuſſit, vt multa moneret, multa præciperet, multaq; edoceret, quæ nondum foras emanarunt, omnia tamen plena ſapientiæ ſingularis, plenaq; religionis. Te vero ampliſſime princeps cũ ſingultus, lachrymæq; occupauiſſent, quas celare tamen reiecta ceruice conabaris, nihilo ille commotior etiam, atq; etiã retinebat. Sed vbi perſenſit fletu præpediri, quominus illi operam dares, ſenſim, atq; diſſimulanter omiſit, qui temet in penetralia thalami conieciſti flentem, atq; habenas, vt ita dicam, dolori & lacrhymis laxãtem, quo tuo facto iam omniũ qui aderant luctus apertus, neq; ſe vlterius diſſimulans commotus eſt. Qua in re mirum eſt ſane, quo pacto Guiduſubaldus ſolus conſtans, paratusq; aduerſus mortem, atque imperterritus, & præteritorũ meminiſſet, & præſentia diſpenſaſſet, & de futuris itẽ religioſiſſime, prudentiſſimeq; cauiſſet, donec poſt illam ſanctã perunctionẽ extremam crucifixũ aureum, defixis oculis intuens, & aperto ore de-

oſculans

oſculans vitam deſeruit. Quod tu princeps humaniſſime aſpiciens diutius naturæ iterum aduerſari non potuiſti, in quos. n. ſingultus eueſtigio es ſolutus? quæ mœroris uerba in mediū protuliſti? quos lachrymarū effudiſti riuos? quæ non es queſtus? non lamentatus? non vociferatus? & ſanè quis non commoueretur animo, cum te Guidum ubaldum totius orbis decus iacentem, extinctumq; intelligat? quis. n. vſq; adeo ſit animo ſaxeo, ac ferreo, qui illa tanta, & tā eximia fortunæ, naturæq; bona, infinitis quibuſdā atq; inauditis illuſtrata virtutibus non requirat amiſſa? non queratur? non ingemiſcat? non collachrymetur? Cæterum Auditores in omni re modus ſeruandus eſt, & ita humanæ imbecillitati concedendum, ut ne quid nimis ſecundum illud Chilonis lacedemonii ſapientiſſimum dictum. Quod vos omnes facturum eſſe arbitror, ſi conſiderabitis Guidiubaldi animam, vt ea de quibus egimus præcipue breuiter, ac ſummatim colligamus, quo ea in vno cōſpectu poſita, firmius in veſtris animis, ac memoria infigātur, eximia temperantia, ſumma fortitudine, infinita prudentia, ſcientiaq;, ac demum incomparabili iuſtitia præditam, dum corpori iungeretur, ac per omnes artus, omnesq; ſenſuum quaſi meatus explicaretur, eodem fere affectam fuiſſe ſupplicio, quo Mezentius ille Virgilianus miſeros ciues ſuos afficiebat, quos iungendo corpora mortua

ma corporis ærugine penitus ſeiungeretur, cunctis abſterſa humanis ſordibus, & omni terreſtri cœno planè purgata corporeiſq; ſoluta vinculis libera omnino; atque ſui cõpos in cœlum eueheretur, æterno gaudio inter Angelos poſitura. Tu vero ampliſsime Princeps ſicuti vnus es, qui cũctis omnibus tuis poteſtate antecellis ita etiam omni virtutum genere ſis ſuperior, teq; talem oſtende, qualis es, & habeas infracto animo, & forti ducem, præſertim cum ob patrem tuum nulla ſit tibi oblata honeſti cuiuſquam fletus & eiulatus cauſa, & ad tui te doloris ſolatium omnes tui ciues etiam, atque etiam exorent, qui non modo ipſi ſed etiã eorum tecta tibi hoc imperiũ capeſſenti geſtiunt, & quod rerum natura non patitur, reuelli pene à ſolo vrbes, & cupere ipſæ cum ciuibus ſuis ire te ſalutatum videntur, & ſane vt hæc, & ampliora quoq; mereris, ſic & ea ſemper tibi contigant, quæ iſta tua virtute ſint non indigna, ut quæ adhuc propemodum diuini illius ingenii flamma ſemper emicuit, ita crebris deinceps & adiuta flatibus, & ennutrita fomitibus effulgeat, ut ab omnium hominum præcordiis nox omnis, geluq; tum inſcitiæ in literis, tum langoris in virtute diſcutiatur. Sed quo me ut modeſtiam tuam offenderem, rapuit & euexit tranſuerſum vehemens veritatis ventus? Ignoſce quæſo: ſæpius enim vt eſt apud Euripidem non quæſita veritas nullis quæſtionibus: ſed ſua tantummodo vi erumpit, & inuitiſſimo etiam homini plerunque exprimitur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

F I N I S.